



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXX.

§. I. An præsentatio facta â possessore juris patronatûs, etiamsi jus proprietatis non habeat, valida sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61687](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61687)

quoad dominium directum, aut utile, & consequenter neque fructus rei oppignoratae, inter quos numeratur etiam jus patronatus.

SECTIO IV.

De presentatione sive ipso actu presentandi & ejus circumstantiis.

§. I.

An presentatio facta à possessore iuris patronatus, etiam si ius proprietatis non habeat, valida sit?

Valer non tantum presentatio, si facta sit ab eo, qui bonam fidei jus patronatus possidet, sed etiam consequens ad eam institutio, ita ut removeri hic amplius non possit, quamvis postmodum appareat, quod verus Patronus ille non fuerit, prout sumitur ex c. consultationibus 19. h. t. & c. querelam 24. de Elect. iunct. Gloss. verbo. super iure. Neque enim, quod legitime factum est, irritari debet, aut retractari, licet ad eum casum deveniat, à quo incipere non potuit, & fructus iuris patronatus, qualis est presentatio, ad possessorem pertinet, ita tamen, ut nec solus communis error, in re hac privata sine possessione ad validam presentationem sufficiat, nec sola qualis qualis possessio, sed quae fit cum bona fide, cum solus communis error non det titulum, & male fidei possessor nullo fructus suos

faciat, sed consumptos etiam restituere teneatur. Quin imò, si simul presententur diverli ab eo, qui in possessione presentandi est, & ab eo, qui jus patronatus ad se pertinere dicit, nisi clarum sit, nullum jus possessori ad presentandum competere, preferendus erit de jure communi Decretalium, qui à bona fidei possessore presentatur: hodie tamen de jure Tridentini Sess. 25. cap. 9. de Reformat. requiritur insuper ad validam à possessore factam presentationem, ut doceat hic de titulo, & quo jure jus patronatus ad eum pertineat, vel saltem, quod tale jus per multiplicationem presentationes, supra hominum memoriam, jam praescripserit.

§. II.

An Patronus possit presentare se ipsum, vel filium suum, si sit idoneus, vel si plures sint patroni, an unum ex se ipsis, ac denique an semper dignus, vel dignior presentari debeat.

SE ipsum patronus ad vacantem Ecclesiam, cujus Patronus est, presentare non potest, nec per se ipsum, nec per alium ex illius commissione tunc agentem, quamvis Clericus, & idoneus sit, c. per nostras 26. h. t. ut ne scilicet ambitionis infamia notetur, & inter presentantem, ac presentatum distinctio sufficiens habeatur, quae non minus inter hos, quam inter donantem & accipientem esse debet: potest tamen si ab Episcopo illi conferatur, sponte, aut interpositis precibus beneficium, cuius ipse patronus est, illud recipere, cum pro